

## De emendatione Nubium Aristophanis.

Inter omnes, qui quidem collati sint, libros Mss. Aristophanis (nam inter eos, qui adhuc in bibliothecis latent neque publici iuris facti sunt, nonnulli eximiae videntur esse praestantiae) optimum esse codicem Ravennatem apud viros doctos constat. Itaque quisquis Aristophani adiumenti aliquid adferre in animum induxerit, in illo potissimum explorando et excutiendo operam debet collocare. At utinam illius ea esset fides, ut eum in omnibus rebus posses sequi, sufficeretque eius lectiones indagare et restituere! Ita vero res non est comparata. Nam quamquam in Nubibus, postquam errores editionis Bekkerianae G. Hermannus et patefecit et correxit, non illud, quod in ceteris fabulis, dolendum est, nondum eum satis esse accurate collatum, tamen magna cum cautione et circumspectione ad emendanda poetae verba est adhibendus: quippe qui ne ipse quidem omni omnino labe careat et interdum non solum leviter depravatas exhibeat lectiones, verum etiam tantopere inquinatas et perversas, ut coniectura cogaris scripturae integritatem revocare. Sed quum nihil turpius sit nostrisque studiis perniciosius illis editoribus, qui non quid cuique loco conveniat exquirere, sed suam doctrinam et sagacitatem ostentare cupiant: ne in vanas suspiciones meraque somnia abeat ars critica, certa quaedam lex est servanda, qua, ubi observandum sit illius codicis auctoritati, ubi recedendum, constituitur.

Iam vero diligenti fabularum Aristophanearum tractatione illud mihi certissimum reperisse videor, librum Ravennatem ita esse natum, ut is, qui eum conficeret, non ad scripti codicis imitationem suum exararet, sed dictantis verba calamo ex-

ciperet \*). Qua quidem ratione permulti libri videntur esse confecti; Ravennalis vero utique talem esse originem, per multa produunt documenta. Notum est illis saeculis, quorum sedulitati maxime veterum scriptorum conservationem debemus, longe diversam fuisse literarum imprimis vocalium pronunciationem ab ea, qua nos utimur; quo fiebat, ut *αι* cum *ε*, *ει* vero et *η*, *ηι*, *οι*, *υι*, *υ* et inter se et cum *ι* in dicendo facile confunderentur. Itaque si quis dictantis verba perscriberet, aurium tantum fide adiutus, facillime poterat accidere, ut in iis, quae describens permutare vix posset, soni similitudine deceptus frequentissime peccaret, et neque illa, de quibus diximus, neque *ο* et *ω*, multasque eiusdem fere soni consonantes satis accurate discerneret. Iam vide, si placet, numquid his exemplis sententia, quam modo proposuimus, confirmari videatur. Consulto vero, etiamsi sexcenta huius generis ex ceteris poëtae fabulis proferre possum, etiam in his, ne latius vagari cogar, intra Nubium fines me contineo.

V. 252. *Νεφέλαισι* (Rav. *Νεφέλεισι*), 253 *ἡμιτέροισι* (R. *ἡμιτέρεσι*), 336. *πρημεινούσας* (R. *πρημιενούσας*), 520. *ἐγὼ καὶ* (R. *ἐγῶγε*), 481, 820, 1091 *τίδέ;* (R. *τί δαί;*); 401 *Ἀθηνέων* (R. *Ἀθηναίων*), 797. *ἔστ' ἐμοί γ'* (R. *ἔσται μοι*), 593 *κάξιημάριτε* (R. *κάξιημάριται*), 1409 *ἐρήσομαι* (R. *αἰρήσο.*) 1474 *χυτρεοῦν* (R. *χυτραιοῦν*).

v. 87: *πίθωμαι* (R. *πειθωμαι*), 339 *ὀρνίθεια* (R. *ὀρνίθια*), 924 *Πανδελειτίους* (R. *Πανδελειτύους*), 355 *εἶδον* (R. *ἴδον*), 676 *θυεῖς* (R. *θυεῖαι*), 1417 *ἀντίποιμ'* (R. *ἀντίποιμ'*).

v. 539 *ἐν ᾗ γέλως* (R. *ἦν ἡ γ.*), 971 *φροῦιν* (R. *φρούνην*), 1179 *τίς ἡμέρα* (R. *τῆς ἡμέρας*), 1186 *τί* (R. *δῆ*), 1138 *τι* (R. *τοι*), 968 *ἐντειναμ.* (R. *ἐντυν.*), 862 et 1083 *πειθόμενος* (R. *πειθόμενος*).

v. 338 *αἰτῶν* (R. *αὐτῶν*), 1060 et 1184 *δέο* (R.

\*) Idem iam, sed breviter, indicavit G. Hermannus in edit. Nub. ad v. 810.

δύω), 1367 πλέον (R. πλέον). — 783 ἄπερ' (R. ἄπερ).

Eadem de causa saepissime factum est, ut librarius verborum fines atque terminos, a quibus oculorum acie adiutus rarius certe aberrasset, non satis discernens in literis vel coniungendis vel separandis plurimis locis erraret. Cuius rei haec sunt exempla.

V. 62. δὴ ντεῦθεν (R. δ'ήντ.) 151 κᾶτα ψυγείση (R. καταψυγείση), 223 ὦ φήμερε (R. ὦφ' ἡμερε), 363 κᾶνποδητος (R. κᾶν ὑπόδ.), 377 κατακορηνάμεναι (R. κᾶτα κορην.), 784 ὅτι τί; ναί (R. ὅτι τίνας), 1218 σε κλητεύσουσα (R. σ'έκκλητ.),

Nonnunquam etiam verba, quae vel male audivisset vel non intellexisset, aut omisit, aut mutilavit, aut cum aliis commutavit, soni plerumque similitudine ductus; veluti v. 392. τυνουτου (R. τουτ'), 1061 τῷ πάποτ' (R. τῷ ποτ'), 1445 τί φής; τί φής; (in R. τί φής semel posuit librarius, dictantis esse iterationem ratus), 330 καπνόν (R. σκιάν), 1195 ἔωθεν ἰπανιῶντο τῆ νομηγία (R. ὑπομανιῶν τῆν νομηγίαν), 831 τετράς (R. τέρας), 1376 κάσπῶδει κᾶπνιγε κᾶπέτριβεν (R. κάπῶδει κᾶπριγε κᾶπέθλιβε).

Talia quisquis accuratius consideraverit, quorum numerus facillime in infinitum, ut ita dicam, augeri potest, ubicunque ex ambiguitate pronuntiationis lectionis varietas profecta est, aut nihil aut non multum tribuendum esse libri Rav. auctoritati concedet. Veluti v. 1157, ubi id quod Rav. exhibet, οὐδὲν γὰρ ἄν με φλαῦρον ἐργάσσοθ' ἔτι, consentiente, ut videtur, Veneto, facile quis cum Brunckio propter ipsam structurae raritatem, non inauditae tamen (ἐργάσσοθ' ἄν), defendendum esse existimaverit; nihilominus sine ulla dubitatione retinenda est reliquorum librorum scriptura ἐργάσαισθ' ἔτι. Nam illius structurae exempla etiamsi apud pedestris quoque orationis auctores satis multa inveniuntur (cf. ea quae in egregio de modis graec. et de part. ἄν libro Baeumlein. congressit p.

157 sqq., quibus adde Plat. Symp. 222 A, Euthyd. 287 D), tamen ita maximam partem sunt comparata, ut aut ἀνακολουθία quaedam aut alia ratio intercedat, qua appareat, cur scriptor ab usitato dicendi genere deflexerit. Neque minus v. 754, quamquam ἀνατέλλει (sic enim Rav.) non multo minus bene dici poterat quam ἀνατέλλοι, hoc, quia soni similitudine facile decipiebatur librarius, propter ea quae sequuntur, οὐκ ἂν ἀποδοίην, retinendum est. Denique, quod semel monuisse satis erit, ubicunque in Nubibus contra Atticorum consuetudinem post ὅπως vel οὐ μὴ particulas Ravennas cum aliquot aliis libris coniunctivum aoristi praebet, indicativus futuri, qui cum eo illis temporibus facillime confundebatur, propter illius auctoritatem non reiiciendus est. Quod tenendum est in his locis: v. 296 οὐ μὴ σχώψης (R.), 824 ὅπως μὴ διδάξῃς, 1108 ὅπως εἶ στομώσης, 1177 ὅπως σώσης, 1398 ὅπως δόξης (quamquam huius loci alia est ratio).

Videmus igitur, non eam esse libri Ravennatis fidem, ut is, qui pristinam Aristophanis fabularum formam restituere velit, vestigia eius quasi perpetuae servituti addictus sequi debeat. Nam si universam eius naturam atque indolem perpenderit, paene eo deduceres, ut conicias conscriptum eum esse a librario graeci sermonis non admodum perito, neque postea ei admotam esse manum emendatricem. Permulta enim eius vitia ea sunt, quae, si quis mediocriter doctus obiter codicem inspexisset, facile sustulisset. Tamen ex optimo exemplo haustus esse videtur et iure inter omnes, quorum satis perspectam atque cognitam habeamus rationem, libros primum tenet locum. Propterea, quae est nostrorum ad emendanda veterum opera adiumentorum conditio, sic statuo. Ubi de lectionis varietate dubitetur, quae profecta ex sola pronuntiationis ambiguitate videatur, librum Rav. haud ita magni aestimandum auxilium, que potius petendum esse et a ceteris melioris notae codicibus et ab universa nostra Graeci sermonis cognitione; ubi vero de aliis rebus disceptetur, a pronuntiatione minus pendentibus, quam illo nullum habeamus puriorem certioremq̃

veritatis in fabulis Aristophaneis fontem, omnino illum ut praestantissimum ducem sequendum neque prius ab eo discedendum esse, quam scripturam eius non modo vitiatam sed etiam inutilem esse ad verum eliciendum certis indicis cognoveris; ad coniecturas denique perraro et in locis tantummodo aperte mendosis confugiendum esse, ubi neque Ravennatis neque ceterorum librorum auxilio, quid ab ipso poeta profectum sit, agnoscere possis: et ne tum quidem quidquam esse periclitandum, nisi quo depravationes quomodo in verborum contextum inferri potuerint, perspicue explicetur.

Sed quum non ubique fidem Rav. codicis certam esse multis exemplis supra iam demonstraverimus, illud iam comprobemus, in plurimis locis ex illo melius quam ex ceteris omnibus, quid restituendum sit, posse cognosci. Ostendit hoc saepius G. Hermannus, cuius etiam in Aristophane emendando sagacitas a nullo superari posse videtur; illustrissimo utar exemplo v. 1466, ubi pro eo, quod vulgo legebatur: ὄπως — Σωκράτην ἀπολείς, μετ' ἐμοῦ γ' ἔλθ' οἷ σὲ κάμ' ἐξηπαύτων e Ravennatis lectione ἐλθών, deletis iis, quae explicationis causa addita viderentur, elegantissime quod verum est reposuit: ἀπολείς μετελθών. Attamen multo constantius etiam et diligentius mea quidem sententia verae lectionis vestigia, quae saepissime in illo codice latent, erant persequenda. Id quod me aliquot exemplis propositis facile spero esse probaturum.

V. 409 contra omnium fere, ut videtur, librorum consensum pro his: ὄπιων γαστέρα τοῖς συγγενέσιν Ravennas praebet ὀπιῶν γαστ. κτλ. Vulgatam lectionem aptam esse et defendi posse non nego: tamen, quum ὄπιων facilius se cuivis offerat, ὀπιῶν exquisitius esse videatur, hoc ab Aristophane ipso profectum esse crediderim. Accedit quod verborum structura participio restituto multo adstrictior redditur et nervosior; librarii vero, non memores, post participium haud raro et ab aliis scriptoribus et ab Aristophane (cf. Nub. 623 sq. Eqq. 392. Avv. 674.) non solum εἶτα, sed etiam κἄτα vel ἀπειτα inferri, usitatiorum orationis formam recipiendam esse

putaverunt. — Similem locum habes v. 495: *τύπτομαι, κάπειτ' ἐπισχῶν ὀλίγον ἐπιμαρτύρομαι*: ubi quum καί particula minime opus sit et duplici asyndeto multo alacrior efficiatur sententia et vividior, relinendum esse censeo id, quod in Rav. exstat: *τύπτομαι, ἔπειτ' ἐπισχῶν ὀλίγον ἐπιμαρτύρομαι, εἴτ' ἀφ' οὗ ἀκαρῆ διαλιπὼν δικάζομαι*. — Neque minus inconsiderate me iudice reiicitur, quod v. 1242 (*ἡ μὴν σὺ τοῦτων τῷ χρόνῳ δώσεις δίκην*), Ravennas \*) exhibet: *ἡ μὴν σὺ τούτῳ*. Hoc τούτῳ, tanquam cum τῷ χρόνῳ coniungendum esset, librarii pravam habere explicationem opinati in *τούτων* commutaverunt, quum apta interpretatione Ravennatis lectio non defendatur solum, verum etiam commendetur. Nam si τούτῳ ad Iovem referas, per quem v. 1241 iurare ridiculum esse dixerat Strepsiadēs, egregiam habebis sententiam, multo praestantiorē ea, quam lectio vulgata praebet. Dixerat Strepsiadēs ridiculum esse iis, qui quid de diis statuendum sit sciant, si quis per Iovem iuret. *At aliquando*, inquit Pasiās, *tu quidem illi ipsi quem nunc impie contemnis, poenas persolves: mihi vero responde, pecuniāne redditurus sis an non redditurus.*

Mirum vero videtur, quod v. 1417 sqq.

*ἐγὼ δὲ γ' ἀντείπομι' ἄν, ὡς δὲ παῖδες οἱ γέροντες·  
εἰκὸς δὲ μᾶλλον τοὺς γέροντας ἢ νέους τι κλύειν,  
ὄσπερ ἐξαμαρτάνειν ἦττον δίκαιον αὐτούς,*

Ravennas ordinem versuum (v. 1418 post v. 1419 collocato) permutat et pro *εἰκὸς δὲ* exhibet *εἰκὸς τε*. Atque ista quidem versuum permutatio ulique prava videtur esse. Repugnat enim et usus dicendi, per quem *ὄσπερ ἦττον* ad comparativum tantummodo referre licet, et ipse sensus. Nam quod dicit Phidippides multo magis senibus quam pueris vapulandum esse, id argumentis confirmari oportet, non ipsum pro argumento haberi potest. Itaque ordo versuum vulgo receptus nequaquam commutandus est. Attamen unde Rav. suum habet ordinem? Nimirum librarius, non eum dico, qui sua manu codicem de-

\*) G. Hermannus hanc discrepantiam omisisse videtur.

scripsit, sed recensionis sive recognitionis auctorem, τὸν διασκευαστήν, nesciens, quommodo h. l. τέ coniunctio ferri posset, sanandumque esse ratus, quod nulla medicina egebat, versus transposuit, verba εἰκός τε μᾶλλον — κλάειν aptius coniungi posse opinatus cum illis ὄσπερ ἔξ. κτλ. Simplicius sed non verecundius alii τέ in δέ commutarunt. Utrique enim eo decipiebantur, quod a verbis εἰκός τε μᾶλλον novam sententiam incipere putabant. At certissimum est, interpunctionem illam graviolem post γέροιτες tollendam et nihil nisi comma ponendum esse: quo facto rectissime se habet particula τέ. Iam enim hoc dicit Phidippides. *Sicuti pueri, inquit, vapulant, etiam patres vapulare aequum est. Dices tu quidem* (nam in his quoque retinendum est, quod in Rav. et Veneto exstat, φήσεις νομιζοῦθαι σὺ), *nusquam hoc senum esse, ubique puerorum. Verum ego iure tibi responderim, senes bis pueros et eo magis illis vapulandum esse, quo minus eos aequum est peccare.* Vides, quam apte omnia cohaereant, et quam recte Ravennatem haud raro plus quam omnes ceteros libros adiumenti adferre ad pristinam verborum integritatem restituendam supra dixerim.

Alii sunt versus, in quibus non ipsa quidem Ravennatis verba recipere, attamen ex illis facile, quid Aristophanes scripserit, reperire, possis. Et primum quidem lenissimam mutationem faciendam censeo v. 960: ὄψον φωνὴν ἦτιναι χαίρεις, καὶ τὴν σαυτοῦ φῶσιν εἰπέ. In his Ravennas, quocum, ut solet, Venetus consentit, pro σαυτοῦ exhibet αὐτοῦ. Poëta igitur scripsit: καὶ τὴν αὐτοῦ φῶσιν εἰπέ, illa ratione, qua saepe Attici pro pronomibus reflexivis ἐμαυτοῦ, σεαυτοῦ tertia persona utuntur: ἑαυτοῦ. Cf. Arist. Avv. 360 et praeter ea exempla, quae in Syntax. 51, 2, 15. Krügerus congressit, Plat. Min. 321 D. Phaed. 91 C. (quamquam ibi Bekkerus ἐμᾶυτόν).

Deinde v. 968 vulgo edunt: (προμαθεῖν ἄσμα ἐδίδασκεν) ἐντειναμένους (pueros) τὴν ἄρμονίαν, ἣν οἱ πατέρες παρέδωκαν.

At Rav. ἐντυναμένης, Ven. ἐπιτηρομένης, vel potius se-

secundum Herm. ἐντυνομένης. Verbo ἐντύνειν vel ἐντύνεοθαι nullus hic locus est: contra si pro litera *v* reponas *ει* (quae quam facile potuerint confundi, quivis intelliget), habebis, quod poëta posuit: ἐντειναμένης τὴν ἁρμονίαν. Supplendum est, quod iam G. Hermannus adnotavit, τῆς κιθάρας: qui quamobrem lectionem illam duobus optimis libris firmatam, recipiendam non putaverit, equidem non perspicio.

Pervenio porro ad locum, ex quo quantum utilitatis ex libro Rav. percipi possit ad Aristophanis comoedias emendandas optime intelligitur. Etenim v. 1040 Iniustus Orator se primum legibus atque iustitiae adversari ausum esse his verbis gloriatur:

(πρώτιστος ἐπενόησα)

καὶ τοῖς νόμοις καὶ ταῖς δίκαις τάναντι' ἀντιλέξαι.

Et sic quidem Porsonus et Elmsleius. Alii καὶ τοῖσι νόμοις. Bothius τοῖσιν νόμοις καὶ ταῖς δίκαις. Solus, quod sciam, Bothius, vir nimiae in coniectando levitatis, sed idem egregii interdum acuminis, haec graece dici non posse animadvertit et ταῖς δίκαις sphalma esse librariorum censens τῇ δίκῃ scribendum esse suspicatur. Minime. Recte illud quidem, quod τὰς δίκας non posse idem esse censet quod τὴν δίκην vel τὸ δίκαιον: nam αἱ δίκαι nihil aliud sunt, quam lites, controversiae, causae. Itaque accuratius consideremus cod. Ravennatis lectionem, num forte illius ope veluti ex tenebris verum eruamus. Et ille quidem consentiens cum Veneto: τοῖσιν νόμοισιν καὶ ταῖς δίκαις, vel secundum Hermannum τοῖσιν νόμοισι κ. τ. δ. Quorum neutrum recipi potest, quum utrumque rationi metricae repugnet. Neque vero illa lectio fortuito vel negligentia librariorum pro eo, quod optime metro conveniret, τοῖσιν νόμοις καὶ ταῖς δ. in libros irrepsisse potest. Itaque ut metrum constet, delenda est καί particula et τοῖσιν νόμοισιν lenissima emendatione commutandum in τοῖσιν νόμοις ἐν. Habes igitur hunc versum:

τοῖσιν νόμοις ἐν ταῖς δίκαις τάναντι' ἀντιλέξαι.

Primus conatus sum legibus in iudiciis adversari. Quod quam aptum sit sophistarum defensori, eloquentiam forensem impri-

mis docentium, per se patet. Facillime vero verba νόμοις ἐν in νόμοισιν commutari potuisse (quo facto καί necessarium videbatur), optime perspiciemus e v. 287, ubi pro eo quod verum est, μαρμαρέαις ἐν ἀνγὰς, Venetus praebet μαρμαρέαισιν, deinde e v. 310, ubi pro παντοδαπαῖς ἐν ὄροις Mutinensium Bekkeri unus habet παντοδαπαῖσιν, denique e v. 841, ubi ipse Ravennas pro eo, quod sine dubio Aristophanes scripsit: ὅσα περ ἔστ' ἐν ἀνθρώποις σοφά, haec exhibet: ὅσα πάρεστιν ἐν ἀνθρ. σ. Formam vero τοῖσιν in similibus nostrae sententiis initio versus positam invenies v. 1315 (γνώμας ἐναντίας λέγειν) τοῖσιν δίκαιοις et 1339 τοῖσιν δίκαιοις ἀντιλέγειν.

Quodsi hactenus mihi contigit, ut in meam sententiam lectores adducerem, spero fore ut etiam reliqua si non omnia, at tamen aliqua ex parte eis arrideant. Transeamus igitur ad v. 1421:

οὐκουν ἀνὴρ ὁ τὸν νόμον θεῖς τοῦτον ἦν τὸ πρῶτον,  
ὥσπερ σὺ κἀγώ. —

In quibus Ravennas et Venetus: τιθεῖς, quod eo minus peccatum librariorum esse crediderim, quo aptius h. l. participium temporis praesentis videtur esse. Namque ὁ τὸν νόμον θεῖς est ὃς τὸν νόμον ἔθηκεν, at τιθεῖς si scribas, haec est sententia: οὐκουν ἀνὴρ ἦν, ὃς τοῦτον νόμον (τότε) ἐτίθει; *Nonne ille vir fuit nobis non melior, qui tunc (priscae aetatis in usum) hanc legem ferebat? Nonne igitur nobis, qui illo non inferiores simus, hanc legem, quae cum nostris temporibus iam non conveniat, licebit abrogare?* — At repugnant, quae in Rav. et Veneto exstant, rationi metricae. — Sane quidem: sed non repugnabunt, si pro τοῦτον reposueris τόνδε, οὐκουν ἀνὴρ ὁ τὸν νόμον τόνδ' ἦν τιθεῖς τὸ πρῶτον.

Sic si legamus, et versus multo accommodatior esse videtur ad teretes et religiosas Atticorum aures, et ordinem verborum habemus elegantiolem vulgato.

Difficilius fuit in v. 1411 sq. id quod verum esset reperire. Nam etiamsi satis aptum sensum praebere videbantur, quae ab editoribus ibi proferuntur, tamen indicibus quibusdam aliter scripsisse poetam monebar. Phidippides, Strepsiadi per-

suasurus etiam patribus vapulandum esse, si peccent, postquam ille sola se beaevolentia et sollicitudine commotum esse dixit, ut filium verberaret,

οὐ καμὲ (inquil) σοὶ δίκαιόν ἐστιν εὐνοεῖν ὁμοίως

τύπτειν τ', ἐπειδήπερ γε τοῦτ' ἔστ' εὐνοεῖν, τὸ τύπτειν τ' ;

In his Rav. et Borgianus particulas *τέ* post verbum *τύπτειν* et *γέ* post *ἐπειδήπερ* omittunt. Quod hic offendit: nam non ut in aliis locis particula *τέ* supervacanea videri potuit, sed ad nexum sententiarum omnino necessaria est. Auget suspicionem, quod Venetus eodem illo *γέ* omisso, non *τύπτειν τ'* habet, sed *τύπτειν δ'*; magis etiam auget, quod duo Mutinenses Bekkeri, Bavaricus, Brunckianus, unus Dobraei exhibent *τύπτουτ'*. Accuratius si sensum perpenderit, talem desiderari sententiam inveniemus: *Fas est, me, quum tibi non minus favere debeam quam tu mihi, etiam verberare te, si quid pecces, quandoquidem haec idem valent, verberare et favere.* Hanc vero sententiam restituemus, si scribamus:

οὐ καμὲ σοὶ δίκαιόν ἐστιν εὐνοεῖνδ' ὁμοίως

τύπτειν, ἐπειδήπερ τὸδ' ἐστίν (sic. Pors. et Elmsl.) εὐνοεῖν,  
τὸ τύπτειν;

Pronomen *σοί* ad participium pertinet; ad *τύπτειν* suppleendum est *τέ*. Cf. Krüg. in Synt. 60, 5, 2 et meam annotationem in ea quam mox me emissurum spero Nubium editione. Quam rationem grammaticam quum non satis intelligerent, librarii participium in infinitivum mutaverunt: quo facto ne sententia haret etiam *τέ* adiciendum esse putarunt. Participium vero hic oblitteratum esse, Mutinensium lectio videtur demonstrare. — Obiter moneo in iis quae sequuntur (v. 1423) me scripsisse *ἤτιόν τι* (pro *ἤτιον τί*).

Nam minus laboravi in v. 1046:

ὅτι κακιστόν ἐστι καὶ δειλὸν ποιεῖ τὸν ἄνδρα.

Nam non solum Ravennas, sed etiam ex Mutinensibus unus, Bavaricus, Dorvillianus, alii *δειλότατον* praebent. Errorem hunc esse librariorum, nihil est quo commovear ut credam. Sed quomodo corrigam, dubito. Quodsi *δειλότατον* retinendum est

(id quod mihi quidem certissimum videtur), haec erit sententia: *κακίστον καὶ δειλότατον ποιεῖ τὸν ἄνδρα*. Itaque *ἐστὶ* pro grammaticorum additamento habeo, et pro verbo *ποιεῖ*, quod ex glossemate oriri potuit, aliud verbum restituendum puto. Fortasse:

*ὅτι ἡ κακίστον δειλότατόν τ' ἐργάζεται τὸν ἄνδρα*.

Quibus optime respondent, quae Iniustus Orator dicit: *τὴν ἄνδρ' ἄριστον* (oppoσ. *κακίστῳ*) *ψυχὴν νομίζεις, εἰπέ, καὶ πλείστους πόρους ποῆσαι* (oppoσ. *δειλοτάτῳ*). Itaque recipiendum esse duxissem, nisi dubitarem de usu verbi *ἐργάζεσθαι*. Composito enim *ἀπεργάζεσθαι* hoc sensu uti scriptores Atticos probe scio et veri simile est, etiam simplex *ἐργάζεσθαι* sic usurpari; at quum exempla mihi quidem desint, nihil mutare satius habui.

Iam redeundum est ad v. 1418, de quo supra iam egimus. Habet enim etiam aliam quandam dubitationem. Nam pro his: *ἢ νέους τι κλάειν* in Rav. exstat *ἢ τοὺς τι κλ.*, et quamquam valde variant in h. v. libri Mss., tamen ad unum omnes articulum (*τοὺς νέους* vel *γεωτέρους*) relinent. Eam, quam Hermannus iniit rationem, ego quidem ut sequar facere non possum; sed potius acrius verae lectionis vestigia in Ravennate persequenda esse existimo. Itaque *γέροντας* pro interpretamento habeo: pro quo si reponas *σαπρούς*, optimum habes versum:

*εἰκόσ τε μᾶλλον τοὺς σαπρούς ἢ τοὺς νέους τι κλάειν*.

*Σαπρός* enim Aristophani senex est Pac. 698; simili sensu exstat in Pluto v. 323. 542. 813.

Maiorem etiam difficultatem habet v. 1260:

*ἔα*.

*τίς οὐτοσί ποτ' ἔσθ' ὁ θρηνηῶν· οὐ τί που  
τῶν Καρκίνου τις δαιμόνων ἐφθέγγυαι;*

Ubi quum Ravennas et Venetus habeant: *ἔα· τίς ἐσθ' ὁ θρηνηῶν οὐτος; οὐ τί που*, G. Hermannus in editione priore, ut legitimum inde trimetrum conficeret, verborum ordine immutato sic scripsit: *ἔα· τίς οὐτος ἔσθ' ὁ θρηνηῶν*, in altera vero reclius etiam in illis libris *ἔα* extra versum positum et in iis

quae sequuntur aliquid excidisse ratus, in textu quidem nihil mutavit, in annotatione vero coniecit: *ἔα . τίς ἔσθ' ὁ θορηῶν οὔτος ἄλλος . οὐ τι που*. Sed quum *ἄλλος* quomodo excidere potuerit, non satis liqueat, id vero, quod excidisse statuamus, aliquam habere debeat similitudinem cum iis quae praecedunt aut sequuntur, ego sic potius suspicor poetam scripsisse :

*ἔα·*

*τίς ἔσθ' ὁ θορηῶν οὔτος αὐθις . οὐ τί που*.

At in editione, quum incerta sit res, nihil mutandum esse ipse quoque censui.

In his igitur codicis Rav. auctoritatem ad restituendam pristinam fabulae formam adhibendam esse existimavi. Sed memor eius, quod Hermannus in praefatione monuit, quamquam multo attentius etiam eius libri discrepantias pervestigandas esse arbitror, non tantum ei tribuo, ut reliquorum librorum auxilium omnino spernam. Imprimis hic commemorandus est liber Venetus Marcianus 474, qui Ravennate non multo recentior, cum hoo ex eodem fonte fluxisse videtur; nam in plurimis locis ita cum illo consentit, ut paene descriptum eum esse ex Ravennate conicias, adhibitis tamen etiam aliquot aliis libris, ex quibus interdum haud mediocris hausta est scripturae diversitas. Cuius rei insigne subiiciam exemplum. Considera enim, si placet, v. 1448 sqq.:

*τί δ' ἄλλο γ' ; ἦν ταυτί ποιῆς,*

*οὐδέν σε κωλύσει σεαυ—*

*τόν ἐμβαλεῖν εἰς τὸ βύραθρον κτλ.*

Permira mihi semper visa est haec sententia, in qua neque illud *τί δ' ἄλλο γε*, neque pronomen *ταυτί*, nimis h. l. *δεικτικόν*, satis placebat. Itaque non dubitabam, quin hic oblitterata lateret illa et apud alios scriptores et apud Aristophanem frequentissima formula *τί δ' ἄλλο γ' ἦ* (cf. 1287. 1495. Rav. 199). Sed haesitanti, quomodo illa huic loco restitui posset, et codicum scripturas perscrutanti peropportune Veneti lectio occurrit, qui hunc v. ita exhibet: *τί δῆτ' ἄλλο γ' ἦν ταύτην ποιῆς*. Nam illud *ταύτην* nihil aliud est quam *ταῦτ' ἦν*; ita-

que quum habeamus particulam ἦν post vocem ταῦτα, facile illud alterum ἦν in ἦ commutabimus. Quo facto versum habemus huncce :

τί δ' ἄλλο γ' ἦ, ταῦτ' ἦν ποιῆς,  
οὐδέν σε κωλύσει κτλ.

*Ταυτί* vero istud ortum esse apparet ex ambigua pronuntiatione vocalium η (ταῦτ' ἦν) et ι (ταυτί).

Duo sunt versus, in quibus ab aliis libris Mss. auxilium petendum esse apparet. Quorum prior est v. 1246 :

*ΠΑΣ.* τί σοι δοκεῖ δρᾶσειν; *ΜΑΡΤ.* ἀποδώσειν μοι δοκεῖ. ἀποδώσειν μοι Rav.; Venetus et alii non pauci σοι. Harleianus σοι δοκεῖ μοι, Baroccianus 127, optime quid legendum sit indicans, ἀποδώσειν δοκεῖ, supra scripto ad alterum verbum σοι, ad alterum μοι. Etenim nihil certius est, quam utrumque pronomen pro interpretamento esse habendum. — At eiecto et μοι et σοι versus claudicat. — Fateor: sed ut in aliis locis permultis, sic hic factum est, ut grammaticorum commento in scriptorum verba illato genuina lectio corrumperetur. Exquirendum igitur est, quid excidisse videatur. Iam quum primae literae verbi ἀποδώσειν magnam prae se ferant similitudinem cum particula πότε (*ΠΟΔ*, *ΠΟΤ*), hanc ante illud verbum excidisse statuo.

*ΠΑΣ.* τί σοι δοκεῖ δρᾶσειν ποτ' ; *ΜΑΡΤ.* ἀποδώσειν δοκεῖ.

*Quid tandem ad postremum eum facturum esse existimas? — Redditurum puto tibi pecuniam.*

Alter versus est 1352 :

ἀλλ' εἰς ὅτου τὸ πρῶτον ἦρξαθ' ἢ μάχη γενέσθαι,  
ἦδη λέγειν χρῆ πρὸς χορόν· πάντως δὲ τοῦτο δρᾶσεις.

In quibus quoniam articulo carere non possumus (Ach. 416: δεῖ γάρ με λέξαι τῷ χορῷ ὅῃσιν μακράν), G. Hermannus ex Dorvilliano, qui praebet ἦδει, primae literae superscripto ε, hanc confecit scripturam: δεῖ δὴ λέγειν πρὸς τὸν χορόν. Minime consentio: longe aliud mihi in illa Dorvilliana discrepantia videtur latere, Etenim in Barocc. 43 et quinto Dobraei

exstat: *χορὴ λέγειν πρὸς τὸν χορόν*, ex quo patet, illud *ἔδει* Dorvilliani (unde reliquorum ἦδη ortum est) nihil esse nisi interpretationem verae scripturae *ἐχοῖν*. Reponendum igitur:

*ἐχοῖν λέγειν πρὸς τὸν χορόν*,

vel, si ceterorum codicum ordinem sequi malis: *λέγειν ἐχοῖν*. Sensum vero imperfecti *ἐχοῖν* alii verbis ἦδη *χορὴ λέγειν*, alii synonymo *ἔδει* explicaverunt, ex quibus conflatis scripturae varietas nata est. —

Quum haec scribere coepissem etiam reliqua omnia, quae aut ex virorum doctorum aut ex librorum Mss. auctoritate, aut etiam ex mea coniectura emendanda esse censerem, defendere et stabilire, contra quae alii male recepisse viderentur, refellere et refutare in animo erat. Sed quum iustos fines iamiam excedere, quae scribo, incipiant, ea tantum expromam, quae primum me coniectura sanasse confido. Qua in re illud rogo lectorem, quod aequissimum esse Cicero dicit, *ut ne quid huc praeiudicati afferat*, neve nimia me coniectandi libidine abreptum inanem quandam nominis celebritatem quaesivisse putet. Namque ut solam veritatem omne in aevum permanere neque ullis tenebris in perpetuum obscurari, vanam vero iactationem brevi concidere neque valere nisi *in opinionibus ac sermonibus imperitorum* probe scio; ita omni illo labore, quem in emendandas Aristophanis fabulas impendi, non meam aliquam gloriolam appetivi, sed literis, si possem, incrementi tantum afferre studui, quantum per ingenii mediocritatem liceret. Itaque nequaquam ipse coniecturis favens, sed plerumque cum suspitione eas excipiendas esse ratus, non tam indulsi iis, quam necessitate quadam interdum ad periclitandas ingenii vires sum adductus.

Et primum quidem aliquot versus enumerabo, in quibus paene nulla vel lenissima mutatione facta verum mihi invenisse videor. De quibus quoniam in editione ea, quibus opus esse videbatur, adieci, hic plerumque ne verbum quidem addam.

V. 687 lego οὐκ ἔστ' (ἔστ' οὐκ), 827 οὐκ ἔστ' ἔτ' (cf. 1470, ubi Porsonus οὐκ ἔτ' ἔστ'), 953 λέγειν (λέγων)\*) 1030 (quem versum emendare non potui) πρὸς δὲ τὰ δ' ὦ (Herm. πρὸς τὰ δε δ' ὦ), 1052 ταῦτ' ἐστὶν αὐτ' ἐκεῖνα (Reisig. ταῦτ' ἐστὶν αὐτ' ἐκεῖνα, Herm. ταῦτ' ἐστὶ, ταῦτ' ἐκεῖνα), 1083 τί δ', ἦν πιθόμενός σοι ξυφανιδωθῆ (verborum ordine immutato), 1285 τὸν τόκον γ' ἀπόδοτε (addita γέ particula, quae necessaria videbatur), 876 καίτοι ταλάντου γ' ἔμαθεν αὐθ' Ὑπέροβολος (coniunctis Reisigii et Hermanni coniecturis). De v. 523 in editionis praefatione (cf. etiam annot. ad v. 523) ita disputavi, ut plura addere nihil attineat. — Versus vero 1359 finem corruptum esse haud crediderim. Particulam ἄρα ab Aristophane ipso positam esse consensu librorum (cf. Herm.) probatur: at suo loco mihi videtur depulsa esse intruso γάρ, quo remoto aptissimam habes sententiam: οὐκ ἄρα τότ' εὐθὺς χρῆν σε τύπτεσθαι τε καὶ πατεῖσθαι. Denique v. 35 ἐνεχυράσεσθαι (non — ασθαι) et v. 1141 δικάσεσθαι scripsi, fretus iudicio Madvigii, qui libello addito ad Philologum Schneidewini a. 1847 p. 29 sqq. subtiliter et copiose demonstravit, ubi infinitivus aoristi de tempore futuro ferri possit, ubi non possit \*\*).

His tandem expeditis ad maiora quaedam et difficiliora nos accingamus, quibus huic scriptioni finem imponere constitui. Considera primum mecum, si placet, v. 995, ubi Iustus Orator, postquam Phidippidem, quid vitandum sit, quid appetendum, docuit, sic pergit:

\*) Nescio an haec sit coniectura Dindorfii in editione Didotiana; quae quum mihi non praesto sit, inspicere non possum. Nunquam vero committam, ut per me quisquam suae operae fructu defraudetur.

\*\*) Hac occasione oblata facere non possum, quin duas Sauppji commemorem emendationes, quas in literis nuper ad me missis mecum communicavit, elegantissimas et acutissimas. Versu enim 533 reponi iubet παρ' ἡμῶν (pro quo edunt ἡμῖν), quod paene necessarium esse nullus adhuc interpretum vidit. Sagacissime vero, quoniam, quod Venetus v. 215 πάλιν praebet pro πάνυ, id v. 215 non habeat quo referatur, ad v. 216. pertinere intellexit; ut legendum sit: τοῦτο πάνυ φροντίζετε, ταύτην ἀφ' ἡμῶν ἀπαγαγεῖν πρόρω πάλιν. Opinatur enim Strepsiades, Socraticorum demum opera factum esse, ut Lacadaemoniorum terra, antehac satis remota, fines Atticos prope attingeret.

ἄλλο τε μηδὲν

αἰσχρὸν ποιεῖν, ὅτι τῆς Αἰδοῦς μέλλεις τᾶγαλμ' ἀναπλάττειν. Sic ex Brunckii emendatione Dindorfius edidit in Poët. Scen. Et Rav. quidem ἀναπλάττειν, ceteri vero aut ἀναπλάσσειν (vel ἀναπλάσειν), aut (adstipulante Suida) ἀναπλήσειν. Editorum alii ὅτι coniunctionem, alii pronomen esse voluerunt; Wolfius ἀναπλήσειν praeferens non μέλλεις, sed μέλλει legendum esse censuit; et hoc quidem etiam Reizius, qui praeterea coniciebat ἀφανίζειν. Hermannus denique: ὅ,τι (suppl. ποιῶν) τῆς Αἰδοῦς μέλλεις τᾶγαλμ' ἀναπλήσειν. Nihil horum verum esse confidenter affirmo. Pendent cetera omnia a verbo, quo versus finitur; quod si inveneris, τὰ πάντα ἔξεις. Nam neque ἀναπλάσσειν (vel-ττειν) neque ἀναπλήσειν ferri potest. Quorum alterum quidem: ὅτι τῆς Αἰδοῦς μέλλεις τᾶγαλμ' ἀναπλάττειν et propter articulum, non supervacaneum illum, sed intolerabilem, et propter verbum ἀναπλάττειν, quod nullam h. l. idoneam admittat explicationem, reiiciendum esse ita demonstravit Hermannus, nihil ut addi possit. Neque vero magis ἀναπλήσειν hic locum habuit. Explicant quidem: *neve quid committas, quo (commisso) Pudicitiae imaginem contamines, vel, qui μέλλει legunt, quod Pudicitiae imaginem contaminet.* — At unde tandem discimus, verbum ἀναμιπλάναι significationem contaminandi admittere? — Ex Ruhnkenii, inquit, annotatione ad Timaei Lex. Plat. p. 31. — Adde, si placet, Heindorfii observationem ad Plat. Phaed. 31. Tamen ex utraque nihil disces aliud quam v. ἀναμιπλάναι idem esse posse quod contaminare, si adiciatur genitivus substantivi, quo quid contaminetur vel impleatur: id quod patet etiam ex nostrae fabulae v. 1023. Sed neque apud Ruhnkenium neque apud Heindorfium ullum inveni locum, in quo admitteret illam interpretationem non adiecto genitivo. Neque potest: nam adiecto demum nomine substantivo verbum *implendi* notionem induere potest *contaminandi*, quae non est verbi propria, sed ita tantum accedit, ut si graecum ἀναμιπλάναι τινός in linguam latinam convertas, nihil fere intersit, utrum dicas *implere* an

*contaminare*, proprie vero nunquam sit *contaminare*. Itaque quum hic genitivo careat, nihil aliud significabit quam *implere*: quae notio ab hoc loco prorsus est aliena. Iam deliberantem me, quid h. l. reponendum esset, semper illud offendit, quod codices ii, qui habent ἀναπλάσσειν (non ἀναπλήσειν), praeter Ravennatem ad unum omnes (nam ἀναπλάσσειν eodem spectat) hanc formam, non eam quam vocant Atticam, ἀναπλάττειν, praebent: atque mox suspicio mihi incidit, oblitteratum esse aliquod verbum, quod Atticam terminationem (in - ττειν) non admitteret. Quid opus est plura? Iterum iterumque literarum formas contemplatus (ΤΑΓΑΛΜΑΝΑΠΛΑΣΣΕΙΝ), tandem illud reperi, quod verum esse confido: ΤΑΓΑΛΜΑΠΛΑΣΣΕΙΝ, quo restituto versus hic est:

αἰσχρὸν ποιεῖν, ὅτι τῆς Αἰδοῦς μέλλει (sic enim legendum esse arbitror, non μέλλεις) τᾶγαλμα παλάσσειν. Quam facile τᾶγαλμα παλάσσειν mutari potuerit in illa τᾶγαλμ' ἀναπλάσσειν, nihil est quod moneam; iam vero etiam apparet, quamobrem plerique codices consentiant in hac forma ἀναπλάσσειν, scilicet quia παλάσσειν aliter terminari non potest. Mutato vero illo παλάσσειν etiam reliquae depravationes paulatim in contextum irrepserunt. — At παλάσσειν apud Atticos nunquam fuit in usu: itaque ferri non potest apud poëtam ἀττικώτατον. — Non esse verbum illud Atticis usitatum libenter concedo, quamquam non ita ab eorum sermone abhorret, ut etiam composito ἐμπαλάσσειν abstinendum esse censuerit Thucydides (7, 84): certe ego quidem nullum novi exemplum, quo ab alio Attico illud usurpatum fuisse demonstretur. Sed constat etiam apud Aristophanem ut apud reliquos Comicos non solum in tetrametris anapaesticis, qui pro metri natura magnam habent cum versu epico cognationem, verum etiam in trimetris iambicis, qui plerumque Attici sermonis proprietatem maxime imitantur, et formas et voces inveniri, ab Atticorum consuetudine alienas. Cuius rei quoniam quasi quendam acervum exemplorum in editione exstruxi, ne *occidat miseris crambe repetita* lectores, hic nihil addam.

Pergamus ad v. 925: ὦμοι σοφίας, ἧς ἐμνήσθης. Ad hunc versum Bothius, quem iam supra dixi in vitiiis odorandis interdum sagacissimum esse, haec scribit: „Difficultate, inquit, non carent verba ὦμοι σοφίας, ἧς ἐμνήσθης, quibus nescio quam sapientiam contemnere videtur Iniustus, quam Iustus modo commemoraverit. At commemoravit hic ipsam illam sapientiam sive doctrinam artemque dicendi, quam profitetur Iniustus, Euripideam atque Socraticam; nec fieri potest, ut ipse sibi suisque rebus maledicat. Quare haec depravata esse puto vitio scripturae continuae, quum A. dixisset:

A. A. ὦμοι σοφίας! A. A. ὦμοι μανίας. ἦ σέμν' ἦσθης,  
τῆς σῆς, etc.“

Hactenus ille. Et haec quidem postrema sibi habeat, quae nemo ei invidet: at illud optime perspexit, non posse vituperari ab Iniusto sapientiam Euripideam, quippe quae tanti aestimetur apud omnes Socraticos, ut postea Strepsiades, quod eam contempserit, a filio sophistarum sacris initiato verberibus afficiatur. Codices vero Ravennas atque Venetus, quamquam versus non uno tenore continuant; sed interrumpunt (minus recte mea sententia), tamen verba ὦμοι σοφίας, ἧς ἐμνήσθης Iniusto tribuunt: et profecto Iusto neque integra neque divisa obrudi possunt. Iam si ad Iniustum pertinent, postrema quidem haec ἧς ἐμνήσθης (qua in re errasse videtur Bothius) omni labe carent: nam ipsis illis iam, quae antecedunt, ὦμοι σοφίας, vituperatio sapientiae Euripideae continetur. Itaque nusquam vitiam latet nisi in voce ὦμοι: quamquam mihi quoque ipsi valde placere gratam illam eiusdem apud utrumque Oratorem vocis (ὦμοι) repetitionem confiteor. Illa igitur sublata si reponas:

ἄγαμαι σοφίας, ἧς ἐμνήσθης,

omnia aptissime cohaerent. De structura non est dubitandum. Cf. praeter ea quae Kruegerus in Synt. 47, 10, 19. conguessit exempla et praeter ea, quibus ipse in editione usus sum, Plat. Symp. 198 B. 208 C, ubi etiam verba ἐκπλαγῆναι et θανμά-  
ζειν cum solo genitivo coniuncta inveniuntur. Obiter moneo,

litteram primam verbi ἄγαμαι haberi potuisse pro personae designatione (ΑΔΙΚΟΣ): quo facto ΓΑΜΑΙ cum eo, quod in versu seq. exstabat, ΩΜΟΙ, confuderunt librarii.

Deinde v. 681 quae vulgo eduntur: ἔτι δὴ γε περὶ τῶν ὀνομάτων μαθεῖν σε δεῖ, et propter ordinem particularum et propter significationem prava esse Hermannus indicavit. Cuius sententia etiam confirmatur eo, quod scripturae varietas in primis huius versus verbis tanta est, ut initium sententiae intercidisse appareat, quod postea commentis suis, ut solent, grammatici suppleverunt. Id, quod metricorum inventis eiectionis relinquitur, in Rav. exstat et Veneto, si Bekkero fides est, haec exhibentibus: ἔτι γε περὶ τῶν ὀν.; contra Hermannus ἔτι δὴ περὶ τῶν ὀν. in illis reperiri affirmat. Inde quod ipse confecit: ἔτι δὴ γε non placet. Ego potius ἔτι γε genuinam esse scripturam et id quod excidit ex simillimo loco (v. 658): ἀλλ' ἔτερα δεῖ σε πρότερα τούτων μανθάνειν, petendum esse existimo; quo facto versus hic erit:

ἀλλ' ἔτι γε περὶ τῶν ὀνομάτων μαθεῖν σε δεῖ.

Eadem fere est ratio v. 786: ἐπεὶ τί νυνὶ πρῶτον ἐδιδάχθης; λέγε. Sic enim Rav. et Ven. Pro τί νυνὶ alii τί δὴ γε, alii τί νῦν γε, alii τί δῆτα, ut facile intelligas, etiam hic abolitam esse genuinae scripturae memoriam et pro ea commenta librariorum superesse. Alienum est ab hoc loco istud Ravennatis νυνί, neque magis placent recentiorum criticorum emendationes; ea vero, quam Hermannus huc intulit, vocis τί repetitio (ἐπεὶ τί νῦν, τί πρῶτον ἐδ.) prorsus est intolerabilis: esset enim responsum quam celerrimum impatienter efflagitantis. Ego ex illis tribus: τί νυνί, τί δὴ γε, τί δῆτα veram mihi videor lectionem extricavisse hancce:

ἐπεὶ τί ἦν, ὃ πρῶτον ἐδιδάχθης; λέγε.

Sic poëtam ipsum scripsisse eo potissimum mihi persuasi, quod statim Strepsiades, magistri interrogationem manifesto repetens dicit: τί μέντοι πρῶτον ἦν; τί πρῶτον ἦν; Quibus verbis emendatio nostra egregie commendatur.

Iam venio ad locum difficillimum, vv. 1348 seq.:

ἀλλ' ἔσθ' ὅτι φθρασύνεται · δῆλόν γε τὸ  
λῆμ' ἐστὶ τὰνθρώπου.

At Rav. et Venetus: ἀλλ' ἔσθ' ὅτι φθρασύνεται·

δῆλον τὸ λῆμ' ἐστὶ τὰνθρώπου.

Quorum utrumque rationi metricae, de qua constat ex antistropha, repugnat. Itaque sagacissime Bentleius pro γε τὸ legendum γέ τοι et pro τὰνθρώπου id, quocum saepissime confunditur, τὰνδρός restituendum esse animadvertit. Sed quem inde versum confecit: λῆμ' ἐστὶ τὸ τὰνδρός, is ter repetita littera τ tam male sonat, vix ut ferri possit. G. Hermannus vero eiecta etiam voce ἐστὶ scripsit: τὸ λῆμα τὸ τὰνδρός. Sed τὸ λῆμα quoque hic vehementer displicet; nam ubi dixeris, habere aliquem, quo confidat, ineptum est addere, apparere eius audaciam, quum non id ipsum solum, sed etiam aliquo fundamento eam niti indicaveris; adiciendum potius est, illam ipsam quoque audaciae causam notam esse et perspicuam. Itaque τὸ λῆμα male huc irrepsisse existimaverim. Iam confer simillimum locum in Oed. Col. Sophoclis v. 1028 sqq., ubi Theseus de Creonte: ὡς ἔξοιδά σε οὐ ψιλὸν οὐδ' ἄσκειον ἐς τοσὴνδ' ὑβριν ἤκοντα τόλμης τῆς παρεστῶσης τανῦν, ἀλλ' ἔσθ' ὅτι φθρασύνεται οὐ πιστὸς ὢν ἔδρας τάδε. Quae si quis forte librarius in margine adnotavit, fieri potuit, ut ex voce τόλμης pravum istud τὸ λῆμ' oriretur. Sed utut haec res se habet, τὸ λῆμα eiiciendum et versum sic emendandum esse existimo:

ἀλλ' ἔσθ' ὅτι φθρασύνεται · δῆλόν γε τοι  
τὰνδρός τὸ νόημα.

Nescio quid implicati et tortuosi etiam illa mihi semper visa sunt habere, quae leguntur v. 861 sqq.: ubi Strepsiadēs filio persuasurus, ut morem patri gerat et in Socratis disciplinam se tradat, memoriam revocat beneficiorum, quibus ipse puerum affecerit:

καγὼ τοί ποτε  
οἶδ' ἐξέτει σοι τραυλίσαντι πιθόμενος,

ὃν πρῶτον ὄβολόν ἔλαβον Ἑλιαστικόν,  
τούτου ᾠριάμην σοι Διασίους ἀμαξίδα.

Defendi posse hunc locum non nego, veluti defensus est ab Hermanno et defendetur quodammodo a me in editione; tamen hic ista dicendi negligentia dura videtur et insuavis et longe diversa ab illa, qua, si Dindorfii et interpunctionem et scripturam sequamur, poeta usus est in vv. 1135 sqq., simplicissima simul et gratissima. Accedit etiam, quod Strepsiadem illius rei meminisse nihil refert; at Phidippidem recordari, id vero gravissimum est; quare hunc potius quasi testem veritatis pater adhibere debebat. Itaque multo aptiorem fore spero sententiam (et nescio an simpliciozem et elegantiozem dicam), si sic scribamus:

κἀγὼ τοί ποτε  
(οἷσθ' ; ) ἐξέτει σοι τραυλίσαντι πιθόμενος,  
ὃν πρῶτον ὄβολόν ἔλαβον Ἑλιαστικόν,  
τούτου ᾠριάμην σοι Διασίους ἀμαξίδα:

In quibus οἷσθα illud similiter παρενθετικῶς accipiendum est, atque ὄρῃς; v. 355.

Apertissime corrupta est duobus locis oratio illa Strepsiadis, quae quasi quoddam πνῖγος dimetris anapaesticis continuatur a v. 439 usque ad v. 456. Cuius initium hoc modo scriptum exstat in libris Mss. :

νῦν οὖν χρήσθων ἀτεχνῶς ὅτι βούλονται.  
τουτὶ τὸ γ' ἐμὸν σῶμ' αὐτοῖσιν  
παρέχω τύπτειν, πεινῆν, διψῆν κτλ.

Et ἀτεχνῶς quidem, quod cum Brunckio aliquot editores deleverunt, omnes exhibent; unus vero χρήσθων τ' ἀτεχνῶς, et Rav. (id quod maxime tenendum est) παρέχων. Ex hac Ravennatis scriptura apparet male egisse Brunckium, quum ἀτεχνῶς eieceret: nam supervacanei hic nihil habemus; excidit potius verbum ad quod participium παρέχων referatur. Quod autem Reisigius ad lacunam explendam sufficere arbitrabatur, si ante χρήσθων inseruisset οὗτοι, id, quamquam verisimile esse iudicavit Hermannus, mihi quidem haudquaquam probatur: nam

illud τ', quod in uno libro exstat ante ἀτεχνῶς, monere videtur ante hanc potius vocem excidisse τοῦτω γ' (h. e. *mihī, Strepsiadi, faciant quidquid libet*). Praeterea vero verbum, ad quod participium Ravennatis, cuius nullam habuit rationem Reisigius, commode referatur, sic fere supplendum esse existimo :

νῦν οὖν χρήσθων τοῦτω γ' ἀτεχνῶς ·  
 ὅτι βούλονται · πάντα δ' ὑφέξω  
 τουτὶ τό γ' ἔμὸν σῶμ' αὐτοῖσιν  
 παρέχων τύπτειν κτλ.

Quamquam in talibus, ne vestigio quidem eorum quae perierunt relicto, vix verisimile quidquam reperiri posse credendum est. — Sed hoc remedio nondum tota sanata est Strepsiadis oratio. Restat enim in v. 453 : δρώντων ἀτεχνῶς ὅτι χρήζουσιν, molestissima eius loci quem modo emendavimus repetitio. Et iam pridem hic verba poëtae interpolata esse cognoscimus ex Rav., qui pro ὅτι χρήζουσιν habet εἴ τι χρήζουσ' et ἦ εἰ pro κεί. Quocirca totum versum ut confictum a librariis eiciendum esse, simul vero καί particulam in iis quae sequuntur (κεῖ βούλονται) delendam censeo : quo facto simplicem habebis apodosin cum duplici protasi coniunctam :

ταῦτ' εἴ με καλοῦσ' ἀπαντῶντες,  
 εἰ βούλονται,  
 νῆ τὴν Δήμητρο', ἔκ μου χορδὴν κ. τ. λ.

Reliquum est, ut de v. 337 dicam, quid sentiam ; qui, si aliquid video in his rebus, ab Aristophane profectus esse non potest. Etenim Strepsiades edoctus per Socratem a Nubibus ali homines otiosos et inertiae deditos haec dicit :

335 ταῦτ' ἄρ' ἐποίουν ὑγραῖν Νεφελαῖν στρεπταιγλαῖν  
 δάιον ὄρμάν,  
 πλοκάμους θ' ἑκατοκεφάλα Τυφῶ, προημινούσας  
 τε θυέλλας,  
 εἰτ' ἀερίας, διεράς, γαμψοὺς οἰωνοὺς ἀερόνηχεῖς,  
 ὄμβρους θ' ὕδάτων δροσεραῖν Νεφελαῖν.

Primo statim adspectu apparet haec esse fragmenta poëtarum

dithyrambicum, risus movendi causa ab Aristophane misere conglutinata. *Propterea igitur*, inquit Streps., (*id quod antea me fugit*) *canebant rorantium Nubium, torta fulmina emittentium infestum impetum, Thyphonisque cincinnos centicipitis, furentesque tempestates; tum aërias, madidas; unguibus aduncis per aërem natantes aves, imbresque aquarum Nubium roscidarum.* Nescio, quomodo inter reliqua Nubium epitheta, significantissima illa, hic ferri possint haec: εἴτ' ἀερίας, διεράς, omni quasi vigore et, ut ita dicam, sanguine succoque carentia. Non enim illud nego, dici posse Nubes ἀερίας, διεράς, quippe quae sint alioquin aptissima earum apposita; sed hoc obstinate nego (οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ' ἦν πείσης), post tam grandia et altissimi spiritus epitheta haec tam exilia et humilia apte posse inferri. Praeterea vero (*id quod maioris etiam momenti est ad suspicionem nostram confirmandam*) verba ἀερίας, διεράς omni ratione grammatica carent, quum neque ad Νεφέλῃν neque ad ὄρμῶν commode referantur, sed supplendum sit ex illo Νεφέλας, ut habeant quo pertineant. Denique minime placet, quod eodem versu ἀερίας et ἀερονηχεῖς coniunguntur. Ne vero quis dicat, consulto Aristophanem quaesivisse ineptias, quibus poëtarum dithyrambicum stultitiam exagigaret, illud moneo, voces tantum illas insolitas et portentosas, non quae inde confectae sunt sententias imputandas esse dithyrambicis; hae enim sunt Aristophanis, non illorum. Istud vero ne moneri quidem opus est, ἀερίας et διεράς Nubes potuisse dici a quovis poëta, neque haec esse epitheta solorum propria dithyrambicum. Quae quum ita sint, sic legendum esse censeo:

εἴτα δι' αὐράς διεράς γαμψοὺς οἰωνοὺς ἀερονηχεῖς.

δι' αὐράς διεράς ἀερονηχεῖς, ut est apud Aeschylum (Suppl. 15.): φεύγειν διὰ κῆμ' ἄλιον, et apud Euripidem (Hippol. 753): πορθμῖς, ἃ διὰ πόντιον κῆμ' ἀλίκτυπον ἄλμας ἐπόρευσας ἐμὴν ἄνασσαν: structura rarissima et ne apud tragicos quidem nisi in choricis carminibus usitata; quo ipso eam

364 De emendatione Nubium Aristophanis.

hic egregie commendari existimo. — Ceterum iam nihil interest, utrum Nubes ipsas dici aves per aërem natantes statuas an discerni hic primum Nubes, tum Typhonem, deinde aves per aërem volitantes, denique imbres.

Scrib. Elbingae Kal. Ian. a. MDCCCLII.

Theodorus Kock.

---